



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De Zelo honoris. Cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

SECTIO VI.

De his quæ semper fieri debent.



H Vc vsque quid singulis diebus hebdomadis, mensibus, & annis fieri debeat, exposuimus; nunc quid semper fieri oporteat, breuiter exponamus. Et quidem semper peccata & vitia fugienda sunt, semper virtutes sectanda, semper bonis operibus insistendum, & aduersus diabolū, & eius dolos, decipulāque pugnandum. Atque in quocunque tempore ita circumspicere viuendū est, ita cautē & sapienter conuersandum, vt quātum fragilitas nostra permiserit, in nullo nec cogitatione, nec verbo, nec actione peccemus, & per aliquod bonum, quod nos occupet, ad perfectionem curramus. Hic est intellectus illius præcepti, Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,] ab Augustino signatus: sic enim scribit quodam loco: Cūm ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem dereliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re vellet frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quod totius dilectionis impetus currit.] Sed quia generalis doctrina minū vtilis est, si in sua latitudine se contineat, & non ad particularia descendat, aliqua specialia dicenda sunt, quæ semper, o vir Dei, præ oculis habeas, eaque diligenter præstare contendas. Memineris autem te esse Deo, & Prælati, & congregationi, in qua visis, & proximo, & tibi ipsi debitorem: quibus si semper quod suum est, dederis, iustus vocaberis, & iustitiæ partes exequeris.

De presentia Dei.

CAPVT I.

R G A Deum igitur ac Dominum tuum hæc septem, quæ sequuntur, obseruabis. Audi illum dicentem: Nunquid non cælum & terram ego impleo?] ipsumque tuarum cogitationum & desideriorum testem, & tuorum verborum & operum inspectorem aspicio. Ipse te vndequaque circumdat, & ac si in profundo maris esses, sursum & deorsum, antè & retrò, ad dexteram & ad sinistram sua Deitate continet, & intra te ipsum ille potens Dominus ac sapiens iudex delitescit. Hæc ergo cogitatio, quod Deus præsens adest, quod omnia tua interiora ac exteriora perlustat, nunquam te deserat, & ita tuam vitam ordines, conuersationem instituas, morēque componas, vt pro humana fragilitate te à Deo aspici non erubescas. In initio cuiusque operis Deo illud offeras, in progressu illum intuearis, in fine ipsi placere, & eius gratia finire constituas. Et si hoc donum fueris assequutus, vt in otio, & in negotio, solus, & aliis associatus, scias Dominum astantem contemplari, citius quàm putas ad magnum virtutum augmentum peruenies.

De charitate erga Deum.

CAPVT II.

D ILIGE Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua: quia hoc est maximum & primum man-

A darum. Dilige eum corde, omnes cogitationes & desideria tua vniuersa in eum dirigens. Dilige opere, mandata eius, & consilia custodiens. Dilige eum vnicè, voluntatem tuam ab omnibus rebus creatis auertens. Dilige eum diligenter, omnia, quæ ad eius obsequium pertinent, sedulò perficiens. Dilige eum purè, in nullo temetipsum querens. Dilige eum libere, quæcumque eius amori opponuntur, constanter abiiciens. Dilige eum gratis, ex amore eius nullum emolumentum, nisi eius beneplacitum, exigens. Dilige eum fortiter, propter eum mala patiens. Dilige perseveranter, nunquam te ab eius obsequio & desiderio diuellens. Hæc præstabis, si eum vt summum bonum, vt ipsam bonitatem, ac vt fontem omnium donorum contempleris. Si etiam hunc amorem quotidie intentis precibus postulaueris: si mundum te, quantum hæc mortalitas fert, & purum ab omni labe custodieris.

De timore Dei.

CAPVT III.

T I M E Dominum Deum tuum, quia Dominus tuus est, & quia ipse dixit:] Si ego Dominus, ubi est timor meus?] Time illum, quia nescis an odio, an amore dignus sis. Time illum, quia postquam occiderit corpus, potest animam mittere in gehennam. Time illum, quia incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, & nescis quid de te futurum sit. Time, non vt seruus emptitius, ob pœnam, sed vt filius carissimus & fidelissimus, ne incurras diuinam offensam. Time, ne ab illo separeris, in quo omne bonum est, & à quo separatus omne malum & omnem miseriam tibi accerces. Time magna peccata, quia à Deo separant, & time quoque leuia peccata, & minimas imperfectiones, quia grauioribus offensis iannam aperiuunt. Time tandem Dominum, quia timor eius initium est omnium bonorum. Nam scriptum est: Time Deum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum.] Inquirentes autem eum per casum & sanctum timorem, non deficient omni bono. Ex hoc timore intima reuerentia procedit, qua disces adorare eum, vt decet, in spiritu & veritate.

De zelo honoris Dei.

CAPVT IV.

G N E S C E zelo honoris Dei tui, qui zelus cor tuum comedat, animam tuam merore contumat. Animaduerte, quia ipse Dominus est sponsus tuus, quem hæretici contemunt, Iudæi subannant, idololatræ & infideles ignorant. Eum peccatores innumeris iniuriis afficiunt; plurimi iusti ei tepidè & oscitanter inseruiunt, & perfecti non tantum aliquid faciunt, quo coram eo minis reuerenter assistunt. An tu, qui hæc vides, non laborabis pro auertenda iniuria, & curando honore sponsi tui, & pro tantis iniuriis eius nonne incimum dolorem admittes? Hæc igitur sit sollicitudo tua, gloriam Dei semper querere, animarum salutem secundum vocationem tuam, & gratiam tibi datam curare, eas orationibus, sacrificiis, bonis exemplis, ac sanctis laboribus iuuare, & diuinam gloriam promouere. Obliviscere boni temporalis tui, & quietis tuæ, honorem tuum contenas, & difficultati occurrere non parcas, vt Domini honorè gloriamque promoueas.